



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Defenduntur testimonia ex Isa. 43. 18, & seq. & ex Isa. 66. 22, 23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Dei mei, & nomen civitatis Dei mei nova Jerusalem, qua descendit de celo à Deo meo, & nomen meum novum. Et Apoc. 2. 17.

Apoc. 21. 1, & seq. Et vidi calum novam & terram novam. Primum enim calum & prima terra abiit, mare jam non est. Et ego Johannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de celo à Deo, paratam sicut sponsam ornata viro suo Et dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, Scribe quia hæc verba fidelissima sunt & vera.

Defendantur
testimonia ex
Isa. 43. 18,
& seq. & ex
Isa. 66. 22,
23.
1. Cor. 5. 17.

Col. 2. 16.

Defendantur
testimonia ex
Jerem. 31. 31,
& seq. & ex
Malach. 4.
4. & seq.
Mal. 4. 4.

Mal. 4. 5.

Matth. 11. 13.

Mal. 4. 6.

Jerem. 31. 33,
& seq.

Mal. 1. 10, 11.

Defendantur
testimonium
ex Malach.
1. 10, 11.

I. **Q**UEM è quadragesimo tertio Isaïæ capite locum deprimimus, Messia temporibus non Paulus solum adscribit in altera ad Corinthios, cum ait: *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova;* sed & Thalmudicus liber Beracoth. Isdem temporibus adscribit quoque Rabbini sententiam alteram ex sexagesimo sexto capite Isaïæ, ubi non statis ac certis diebus, sed continenter, nulloque intermisso tempore, vel dierum habito discrimine, futurum vaticinatur ut ad Dei cultum homines conveniant. Quibus consonant ista Pauli ad Colossenses: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut sabbathorum; quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.*

II. Nobilissimum etiam Jeremiæ oraculum è tricesimo primo capite R. Moses ben Nachman refert ad Messia ætatem, ut dixi in Propositione septima. Inepta vero est, quam proponit R. David Kimchi, interpretatio: non novam enim præsignificari legem statuit, sed priscam illam Mosis in Judæorum animos insinuandam penitus & obsignandam. Tum Malachia suffragium ambit, cujus præceptum hoc est: *Memento legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël, præcepta & judicia.* Unde colligit Malachiam, postremum Prophetarum, hæc præceptione, non vaticinia tantum sua, sed & aliorum Prophetarum claudentem, aperte docere, in unica Lege Mosaica esse acquiescendum, nec aliam porro expectari debere. Sed hominis commentum liquido refellunt ipsa verba Jeremiæ, quibus non solum promittit Deus futurum, ut novum foedus paciscatur cum Israëlitis, sed foedus etiam illud novum veteri opponit, ipsumque adeo vetus excludit, ut pote quod ab Israëlitis violatum & solutum sit. *Feriam, inquit, domui Israël, & domui Juda foedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Egypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus.* Ad Malachia vero testimonium quod attinet, id sibi vult, observandam esse quidem Legem Mosis, sed tamen, quoad per novam Christi legem abrogetur, quod & indicant quæ proxime subjicit: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Ac si diceret fore ut ad Johannem usque Lex vigeat: quod clarius pronuntiavit Christus Jesus apud Matthæum: *Omnes Propheta & lex usque ad Johannem prophetaverunt; & si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est:* quæ planissima est Malachiana illius *Ἐσπέρωνας* interpretatio. Addit Malachias de Elia illo venturo: *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Nempe hoc ipsum foedus novum est, quod icturum se pollicetur Deus hoc loco Jeremiæ quem scrutamur: *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Accedit Malachia ipsius testificatio, quo meliorem ipsi interpretem dare non possimus: *Non est, inquit, mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

III. Quæ Malachia sententia, ut illustis est in primis ac splendida, cum eam popularibus suis vitio ac dedecori verti intelligerent Rabbini, pro sua vafriritie perveris etiam interpretationibus eludere tentarunt. Sunt qui dicant, Deum id sibi velle, Quantumlibet in idolis, vel stellis, minutisque Diis compluribus colendis effusa sit Ethnicorum impietas, unum tamen summum, ac supremum Deum venerantur, quod